



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 4. Ex quo motivo debeat esse attritio, ut sufficiat ad effectum
Sacramenti? Vbi de opinione M. Soti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

sione, & contritione, quæ est materia hujus Sacramenti, definit Concilium: * Quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur; hac ratione poenitentiae partes dicuntur. * Atqui contritio, seu attritio vera (nempe quatenus est dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero) ex Dei institutione requiritur ad peccatorum remissionem, per hoc Sacramentum obtinendam, ut docent communiter Doctores pro contraria sententia citati; ergo secundum hanc rationem, est pars materialis Sacramenti poenitentiae, ac proinde de illius essentia. Ergo quoties defecerit dolor requisitus ad peccatorum remissionem, deficiet pars essentialis Sacramenti, & per consequens, & Sacramentum. Ergo ad ejus valorem non sufficit attritio existimata, & revera non est.

6. Imò nec sufficit attritio ulla, quæ non sit ex motivo universali ad omnia lethalia detestanda; quia cum tota hac extensione requiritur ad remissionem peccatorum ac proinde cum minori extensione motivi, non erit attritio pars hujus Sacramenti. Quidquid contraxerint Suarez, & Lugo supra, qui ex hoc capite Sacramentum validum, & informe contingere defendunt. Sed nullum in Concilio fundamentum invenio. Quia propositum non peccandi de cætero, utpotè quod ad omnia lethalia vitanda extenditur, nequit non habere motivum universale omnia comprehendens. Et ut bene observat P. Vazq. supra, nullum in Conciliis vestigium reperitur ad asserendum dolorem, qui est pars essentialis Sacramenti, non esse simul dispositionem sufficientem ad ejus effectum. Quinimò Concilium definit esse partem quatenus ad hunc requiritur, ut diximus; atque adeo, qui ad illum non sufficiat, nequit esse pars hujus Sacramenti. Quapropter neque Sacramentum queit esse validum, & informe, ex hoc capite, neque ex eo quod attritio existimata (licet revera talis non sit) ad valorem sufficiat.

7. Secundò probatur nostra sententia ab absurdo. Quia si desinente Concilio attritionem esse partem Sacramenti, posset intelligi de attritione existimata, posset etiam cum de contritione charitate perfectà loqui tur, de existimata interpretari. Et consequenter possemus dicere hominem extra Sacramentum justificari per contritionem veram, aut existimata. Quod hæreticum est. Ergo sicut contritio existimata non sufficit ad justificationem, ita neque attritio existimata ad rationem partis essentialis Sacramenti. Confirmatur, quia aqua existimata, etiam invincibiliter, non est sufficiens materia baptismi, si vera aqua non sit: ergo attritio existimata non erit sufficiens materia poenitentiae, si vera attritio non sit. Urgetur iterum, quia si tota materia Sacramenti datur absque attritione vera, tota etiam dabitur, licet poenitens clare noscat non habere hunc dolorem, & foret validum Sacramentum, licet advertenter, & scienter absque illo accederet.

8. Hæc assertio apertior est, quando poenitens ex ignorantia graviter culpabili sibi suadet, habere veram attritionem, quia verè accedit cum actuali culpa gravi in Sacramenti susceptione commissa, quæ secundum communem, & veriotem sententiam, non minus impedit valorem, quàm si scienter accederet sine dolore, aut si ex verecundia taceret aliud quod peccatum lethale: nam ut bene inquit Suarez, non potest dici, non continere intolerabilem errorem sententiam illam, quæ actu graviter peccantem

absolvit, ac proinde non potest non esse nulla, vel quæ diximus de integritate confessionis, *dispositio* 8. num. 13.

9. Ex dictis fit, sententiam judicis in hoc loco non esse validam ex ordinatione Christi Domini, si in poenitentem rectè dispositum feratur, ac proinde deficiente verà attritione, intolerabilem errorem continere, utpotè defectum partis, seu materialis essentialiter requisitæ: in foro autem externo dicitur contingit, quia ut leges disponunt, intolerabilem errorem non continet sententia, quæ fertur factum allegata, & probata, bonâ fide. Unde poenitens esse audiendus Canum, & Capetanum, aliter non validum fore Sacramentum, si poenitens letetur de peccato non habendi dolorem, quorum letentiam improbabilem dicit Suarez *dispositio* 20. *secundum* 4.

10. Ad fundamentum adversariorum, respondetur concedendo, non esse obligandos fideles ad multas confessiones, ubi non confit evidentiter de tali obligatione, cum autem de illa non confit, quatenus poenitens invincibiliter se existimat attritum, non possit moraliter constare, verum dolorem deficiente nunquam ex hoc capite proveniet obligatio intendi confessionem, nec ad mortalem securitatem conscientiae aliud requiritur; quàm ad dolorem capiendum, eam adhibuisse diligentiam, quâ poterit quis judicio, esse attritum; quod si revera verus non sit, Sacramentum non erit validum, recedunt verò peccata indirectè per subsequenter confessionem, cum vero dolore factam. Nec fundamentum esse potest ad anxietatem conscientie, non si mera possibilitas eventus mortalem securitatem tollere posset, sufficeret etiam ad hunc effectum possibilitas defectus jurisdictionis, aut intentionis in Sacerdote absolvente, quæ quidè nulli cordis anxietatem inferre solet.

QVÆSTIO IV.

Ex quo motivo debeat esse attritio, ut sufficiat ad effectum Sacramenti?

1. **S**uppono ex Tridentin. sufficere quod dicitur in motis capite primo relatis: est tamen difficultas, an sufficiat dolor de peccato commissum, vel poenam corporalem, aut pecuniarum, quæ peccator damnandus est?

2. **R**espondeo, dupliciter posse poenam hoc temporalem timeri. Primò, ut intelligendam à iudice humano. Secundò, ut à Deo in peccati vindictam. Si primò, non sufficiet ad eliciendam attritionem ad Sacramenti valorem, & effectum requisitam. Quia dolor ex hoc motivo conceptus, non potest minime à peccatis internis avertere, quæ à iudice humano puniri non possunt, ac proinde non recedet voluntatem peccandi, quod necessarium est, ut infra dicemus; tum quia hoc motivum potest humanum esse, & non facit hominem converti ad Deum, sed ad iudicem, quem timet. Si verò secundò modo res se habeat, sufficiet tale motivum ad veram attritionem, requisitam ad valorem, & effectum Sacramenti, quia timor mali temporalis, ut à Deo, poenam peccati infligendi, averit hominem ab omni peccato, & aliundè cum ex timore Dei procedat, est conversio quædam ad Deum, licet non amore, sed timore concepta: & confirmatur, quia poena temporalis purgatorii in alia vita luenda, est sufficiens

motivum veræ attritionis, quia respicitur, ut infligenda à Deo in pœnam peccati: ergo pœna temporalis in hac vita solvenda, erit etiam sufficiens sub eodem respectu.

3. Probatur insuper ex Tridentin. sess. 14. cap. 4. ubi metum pœnarum à metu gehennæ distinguit, adducitque exemplum pœnitentiæ Ninivitarum, quæ concepta fuit ex metu excidii suæ Civitatis, quod Deus comminatus fuerat: ergo pœna temporalis huius vitæ, ut à Deo in peccatorum ultionem infligenda, sufficiens motivum est ad attritionem, quæ à Concilio Tridentino, ut pars, & dispositio ad peccatorum remissionem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, adstruitur.

4. Propter hanc sententiam gravissimi Theologi tuerentur. Pat. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 5. sect. 2. num. 8. disparitatem constituens inter motivum purè naturale vitandi infamiam apud homines, ibi sistendo, & motivum vitandi gehennam; hoc admittit, illud verò, ut insufficiens ad veram attritionem rejicit. * Quia intentio, inquit, vitandi infamiam coram hominibus per se solum continet hominem ab exteriori actu, quia per hunc infamia contrahitur, & illo ablato vitatur, etiam si in interiori affectu perseveret; at verò motivum vitandi pœnam apud Deum, corrigit etiam interiorem affectum, nam hanc etiam Deus corripit, & punit, * & expressius infra num. 15. dolorem ob malum temporale, ut supra explicatum, sufficiens esse dispositionem ad gratiam in sacramento obtinendam, concedit cum Vegalib. 13. in Trident. cap. 14. Quia * quamvis pœnæ, inquit, temporales sint; si tamen considerentur, ut infligantur à Deo, & ut nobis indicent iram ejus, & quodammodo inchoant divinum supplicium, nisi emendemur, sub ea ratione possunt movere ad supernaturalem attritionem. * Ex quibus constat, malè pro contraria sententia referri ab Elcobar in Summ. tract. 7. examine 4. cap. 7. numer. 21. quamvis enim disp. 20. sect. 2. num. 10. scripserit ad attritionem non sufficere motivum temporale, & humanum, quia tale motivum non avertit voluntatem ab effectu peccati: loquitur de motivo humano, in eo sistendo, in sensu ab eo explicato disp. 5. sect. 2. citata, quo in hoc loco se remittit dicens, * ut supra latè declaravi. * Si verò motivum temporale, & humanum consideretur, ut malum infligendum, vel infligendum à Deo in pœnam peccati, illud non excludit Suarez à motivo sufficiens ad attritionem; sic enim à cuiusvis peccati effectu voluntatem avertit.

5. Ideo hanc sententiam tenet Lessius 3. p. D. Thom. q. 1. Quid sit contritio, dub. 5. n. 18. ubi sic: * Dico 5. Satis probabile est, sufficere, si malum illud temporale, propter quod dolet, apprehendatur tanquam à Deo infligendum: secus verò si apprehendatur, ut malum purè naturale. * Cujus rationem reddit, quia hic dolor (scilicet primus) sequitur ex fine providentiæ, & justitiæ divinæ, & ex timore Dei tanquam ultoris peccatorum. * Idem sentiunt Gasp. Hurrad. quem citatum sequitur Pat. Escobar ubi supra, Grando, Leander, Continch, Ochagavia, Llamas, Tamburinus, Reginaldus, Varius, Josephus Augustinus, & alii, quos citatos sequuntur Diana p. 4. tract. 4. resol. 193. & p. 9. tr. 9. resol. 5. & p. 11. tr. 3. resol. 43. 8. Notandum, Card. de Lugo disp. 5. sect. 9. à num. 137. & gravissimi Doctores, Aversa, Mag. Candidus, & alii, quos citatos sequitur M. Joannes Martinez de Prado tom. de Pœnit. quæst. 1. de contrit. dub. 8. n. 48. & M. Paulus de Blanchis in discept. casuum conf. disp. de contrit. litt. C. fol. 271. dub. 2. ibi: * Attritio est

dolor de peccatis ob timorem inferni, aut aliorum nocuementorum temporalium. * Et M. Corradus 1. p. quæst. 65. in addition. ibi: * Mihi videtur sufficere, si quis doleat de præteritis peccatis cum proposito in futurum cavendi, etiam propter pœnas inferni, vel alia incommoda. * Qui duo Authores in sensu à nobis explicato intelligendi sunt, ut eorum opinio sustineri possit.

§. UNICUS.

Quorundam sensus omnino rejiciendus.

6. IN alio autem sensu illam reprobat sapientissimus Pat. Suarez ubi supr. disp. 20. sect. 2. in eo scilicet, quo eam tenuit Mag. Sotus in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 5. §. 9. & confirmatur ratione, * & expressius dist. 18. quæst. 3. art. 3. allens, ad effectum hujus Sacramenti sufficere attritionem naturalem solis viribus naturæ elicitam, sive sit ex motivo æterno, & honesto, sive ex motivo naturali, & indifferenti, ut vitare infamiam apud homines, ibi sistendo, vel aliud temporale detrimentum secundum se consideratum, & non prout à Deo in ultionem & pœnam peccati immixtum.

7. Quod autem hæc fuerit opinio Soti, constat aperte ex ejus verbis dist. 18. citata. * Scio, inquit, quosdam nec sine probabilitate de ejusmodi attritione distinguere, quæ si sit propter pœnas inferni, sufficit cum Sacramento, quia ille Deus timetur, ut ultor, & inflictor illarum pœnarum. Cum tamen dolor ex timore detrimentorum temporalium nascitur, ut timore honoris, aut infamiæ, aut mortis, aut jacturæ bonorum, ajunt, neque cum Sacramento sufficere ad gratiam, tamen confessio sit valida. At verò probabilius fortasse dicitur, quod cum ille timor sit bonus, quia illa sunt verè mala, & à Deo, licet per causas naturales infligantur, illa attritio, dummodò existimeretur contritio, adjuncta Sacramento sufficit. * Hæc ibi. Et prædixerat distinct. 17. quæst. 2. art. 5. ubi sic: * Contritio est dolor de offensa Dei propter Deum; attritio verò dolor peccati ob timorem inferni, vel aliorum nocuementorum temporalium, &c. ex qua differentia subsequitur, quod attritio potest ex viribus naturalibus elici, quia non est ultima dispositio ad gratiam, sed potest esse simul cum peccato: contritio verò nasci nequit, nisi ex auxilio speciali Dei supernaturali prævenienti, * & antea. * Nomine attritionis solum illam detestationem intelligimus, quæ per se non sufficit ad delendum peccatum; sufficit tamen cum Sacramento.

8. Cum Soto sentit Magist. Canus in Relect. de Pœnit. 3. part. fol. mibi 13. & 14. in editione Complutensi anno 1563. ubi triplex genus attritionis distinguit: * Primum, inquit, est, cum quis dolet de peccato propter humana, naturaliaque motiva, ut quia turpe est, & contra rationem, vel quia inducit infamiam, &c. Secundum genus imperfectæ displicentiæ est, quæ oritur à timore pœnarum; pœnas verò intelligo spirituales & æternas, quæ lumine fidei cognoscuntur, &c. Tertium imperfectæ displicentiæ genus invenitur, cum quis dolet quidem de peccato, quâ ratione offensa Dei est, sed ex velleitate, non ex voluntate absoluta & efficaci: habet enim desiderium imperfectum placendi Deo, & vitandi peccata, &c. Ad contritionem requiritur auxilium Dei speciale, cum sit actus supernaturalis. Attritio verò (attenu-

Ec 3 de) lo-

de) solis viribus naturalibus haberi potest, nisi attritio secundi generis (nempe quæ oritur ex timore pœnitentiæ spiritualis, & æternæ) quæ tam ex parte intellectus, quam voluntatis, auxilio speciali opus habet, &c. Ad alias verò attritiones ex parte voluntatis nullum auxilium speciale requiritur. Nam illa primi generis, cum naturale objectum habet, solis naturæ viribus nititur; illa autem postremi generis, supposita fide beatitudinis supernaturalis, haberi potest sine auxilio Dei speciali, sicut desiderium inefficax, & imperfectum beatitudinis. * Sic ibi: Postea verò part. 5. §. Ad secundum principale. Sic habet. * Et si quæras, quando ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti? Respondeo, id primum evenire quocumque attritionis genere homo sit attritus, si existimat, se præstitisse, quod necessarium erat, ignoratque invincibiliter se non habere sufficientem dispositionem, quia is, non ponit obicem, sed bonâ fide accedit ad Sacramentum: Sacramentum autem in non ponente obicem, suum semper habet effectum. Quo fit, ut omnia Sacramenta ex huiusmodi attrito, contritum faciant. Quod D. Thomas dilucidè tradit 3. p. q. 79. art. 3. & in comment. super Ioannem, cap. 11. in illud solvite eum. * Itaque secundum M. Canum attritio propter humana motiva, naturaliaque, nimirum (ut ipse dixerat). * Quæ ex timore infamiæ proficiscitur, vel cuiusque mali temporalis, ut qui detestatur peccatum, & proponit confiteri, ne ejiciatur ab Ecclesia, vel ne mulctetur pecunia, &c. Hæc, inquam, attritio viribus solius naturæ abique speciali auxilio Dei elicitâ sufficit juxta hunc Doctorem ad gratiam in Sacramento obtinendam, si invincibiliter judicetur à pœnitente sufficiens: secus aliter.

9. Et sanè, hanc esse horum Doctorem sententiam, refert ex eadem Illustrissima familia M. Ludovicus Lopez t. p. instruct. cap. 8. ubi adductis verbis M. Cani, ut supra, assertis, pœnitentem fieri ex attrito contritum virtute Sacramenti * quæcumque genere attritionis sit attritus; si existimet se præstitisse, quod necessarium erat. Sic ex illis infert: * Cùm autem aliquod genus attritionis, scilicet, quod est de peccato, quia induxit infamiam, vel nocuum tempore, ex viribus naturæ haberi possit, & communiter habeatur, sequitur sensisse Canum, cum tali attritione ex viribus naturæ elicitâ, accedente Sacramento in re, posse hominem justificari, si ignoret invincibiliter, se non habere sufficientem dispositionem. Sed quid, si sciat, talem dolorem insufficientem dispositionem? tunc ait, sic attritus non fit ex attrito contritus virtute Sacramenti, id est, non accipit gratiam. Ita Canus. Ex cuius dictis colligitur, quod ad justificationem attritio ex speciali Dei auxilio elicitâ, non est necessaria cum Sacramento: quia cum attritione habita ex viribus naturæ, quæ quis dolet propter infamiam, si pœnitens recipiens Sacramentum ignoret invincibiliter insufficientiam istius dispositionis, poterit justificari, & ejusdem sententiæ puto fuisse Sotum. * Hæc Lopez, qui paulò infra planè fatetur, esse etiam sententiam M. Soti, dicens: * Sotum in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. non solum concedere, validum efficere Sacramentum attritionem per vires naturæ elicitam, ut cum quis dolet de peccato propter infamiam, sed superaddit contra nostram conclusionem: quod per Sacramentum, tali attritione attritus fit contritus, & recipit gratiam, quia Deus per causas naturales, ut ipse Sotus alibi ait, invehit hæc mala, quatenus displicentiam peccati generant in peccatore. * Hæc M. Lopez, qui ubi infra pro sententia M. Cani refert etiam M. Barthol. de Medina. Pro qua M.

Paul de Blanch. ubi sup. dub. 2. fol. 171. adducit Cajet. dicens. * Et si Cajetan. dicat, quod ex pœnitentiæ viribus possumus habere ultimam dispositionem ad gratiam, decipitur. * Cum Soto, & Cano consentiant, in 4. tom. 1. dist. 4. q. 4. art. 3. conc. 3. apud D. 3. p. 17. 4. ref. 13. §. sed plus.

10. Est tamen valde notandum discrimen inter assertionem Mag. Soti, & Cani: quod Sotus attritionem ex viribus naturæ abique speciali Dei auxilio elicitam, nunquam dicit esse sufficientem dispositionem secundum se, sed tantum quando ex ignorantia invincibili existimatur contritus, M. verò Canus concedit, attritionem viribus naturæ elicitâ, non existimata contritionem, esse sufficientem dispositionem. Hoc discrimen adnotavit M. Ludovicus Lopez supra cap. 9. fol. 30. * Dissident (inquit) non satis conveniunt inter se nostri prælati Thomæ Sotus, & Canus. An attritio cognita, quæ peccator scit, se non dolere de peccatis, quia offendit, sed propter infamiam inde incurram, vel alia temporalia inde amissa, sufficit ad condonationem peccatorum per Sacramentum pœnitentiæ, Cui in sua relectione par. 5. relectionis pœnitentiæ mart sufficere; ei subscribit Medina Salamanicensis in sua Summula Hispanica fol. 294. p. 1. & 2. fol. 1. & 2. At negativam sententiam tueretur Sotus in 4.

11. Cæterum opinionem prælatorum Thomæ Soti, & Cani de attritione viribus naturæ elicitâ ob infamiam, vel malum temporale, quæ ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ disponat; veluti omnimodam falsam omnes merito rejiciunt, severisque celsis notant M. Pet. de Ledelm. in Sum. tom. 1. cap. 7. a pan. concl. 4. fol. mibi 195. * La primera manera de contrición nempe ut ait, conclus. 2. porque ha de ser en alguna enfermedad, o en alguna infamia por peccado, o por otro motivo natural, quales la fealdad, o torpeza del peccado) que es meramente natural, por motivos naturales, y queno procede de amor de Dios sobre natural, no es bastante para que otorga ella se de la gracia del Sacramento. Esta conclusión es certissima entre todos los Teólogos: etiam contra, quælo contrario es grande temeridad, M. Sotus dicitur. quest. 69. art. 9. fol. 233. * Dicendum est, ad prædictum effectum recipiendum non sufficere attritionem naturalem, etiam si quis probabiliter existimet, se habere supernaturalem. Prima pars assertæ patet ex Trident. sess. 6. Can. 7. ubi definitur: * Si quis dixerit, sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem penitere posse, contra oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, an thema sit. * Loquitur enim Concilium de omni justificatione, etiam de ea, quæ virtute Sacramenti in ut legenti constabit.

12. Et esse de fide docent præstantissimi alii Theologi. M. Tapia in Caten. Moral. lib. 5. quest. 2. art. 2. * Dispositio, inquit, ad justificationem importat duplici differentia: alia proxima, alia remota. Dispositio remota sunt actus supernaturales, quæ convertunt hominem perfecte ad Deum. Quædam adulti, ut justificetur à Deo, debet se præparare proprios actus liberos. Huiusmodi actus, quæ se disponunt, debent esse supernaturales ex auxilio gratiæ Dei, &c. Duæ assertiones præcedentes desumuntur ex D. Thoma 1. 2. quest. 112. art. 2. & quest. 113. art. 3. & sequenti. Et tunc de Rite Cætholica, ut constat ex sacris literis, & Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. & 6. & sæpè in Augustino 2. de D. Augusti, in tom. 7. in pluribus locis contra Pelagianos.

13. Idem sentit M. Corradus 1. p. *Reff. quæst. 178. in addition.* *Hæc sunt argumenta Pelagii, quibus probat, hominem ex facultate naturæ, se posse ad gratiam preparare. Sed hæc sententia est hæretica, & contra scripturas, & Concilia: veritas Catholica est, quod nemo se valeat ad eam preparare sine auxilio speciali. *Sic Corradus: quem sequitur Thomas Hurtado *rom. 2. variar. resol. num. 504.* Sic enim ait: *Si disponderet ad gratiam, Pelagianum esset asserere, quod sufficiebat esse ex viribus naturæ. *Et aperte hæresim sapere, dicit novissimè Vincentius Baronius, Ordinis Prædicatorum in opere contra Arianismum *disp. 3. sect. 2. art. 1. §. 2. fol. 316.* ibi: *Nonnulli autem sunt propugnare hanc thesim: attritionem naturalem, ex metu alicujus temporalis commodi, Sacramento junctam, peccatorem iustum facere, quod aperta hæresim sapit. *Hæcille, in Authores Societatis hanc opinionem tentans revertere, sed nullum pro illa nuncupat, nec poterit.

14. Dices Mag. Tappam, & Corradum aded aciem centuram opinioni Soti, & Cani inurentes, intelligendos esse de dispositione ad justificationem extra Sacramentum, hanc enim absque auxilio gratiæ haberi non posse, fide sanctum esse, secus attritionem, qua ad gratiam in Sacramento obtinendam, peccator disponitur. Sed contra est, quia eorum fundamenta locis suprà citatis, de hac etiam justificatione, & dispositione præcedente ad gratiam virtute absolutionis obtinendam, procedunt, ut expressè tradit M. Corradus 2. p. *quæst. 57.* Ubi sic: *Quæritur, an cum attritione orta solum ex viribus naturæ, simul cum Sacramento confessionis, possit poenitens justificari? Respondeo, (inquit) si secundum Sotum, & quosdam alios tenendum esset, sententia esset affirmativa; sed tamen contrarium asserendum ex definitione Concilii Tridentini. dicentis, quod attritio, quæ cum Sacramento poenitentia sufficiens est ad consequendam gratiam, ex viribus naturæ solum haberi non potest. Hæc conclusio est ipsius Concilii certissima *sess. 14. cap. 4.* ubi de attritione loquens ait: Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communiter concipitur, declarat donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus, non ad id quidem habitantis, sed tantum monentis, quo poenitens adjutus viam sibi ad justificationem parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentia impetrandam disponit. Ecce quid clarius. *Hactenus M. Corradus, Sentit ergo aperte esse de fide attritionem, quæ in Sacramento Poenitentia ad gratiam disponit, esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, atque aded non ex viribus solum naturæ, sed ex speciali Dei auxilio elicitam. Cui consonant Thom. Hurtado ubi suprà, qui contrariam assertionem Pelagianam esse dicit. Ex quibus refellendus etiam venit M. Paulus de Blanchis in *Disceptat. casuum, disp. de contrit. litt. C. dub. 2.* ubi de attritione loquens ait: *Attritio est dolor de peccatis ob timorem inferni, aut aliorum nocuementorum temporalium, &c. Potest elici ex viribus naturalibus, cum non sit ultima dispositio ad gratiam. *Et aliterum folio 272. *Attritio ex sui natura est semper sine charitate, quia ex viribus naturæ procedit. *Cujus sententia æquè repugnat Concilio Tridentino: ejusmodi enim attritio ob timorem inferni in Sacramento Poenitentia ad Dei gratiam impetrandam disponit, & donum Dei esse definit Concilium.

15. Quapropter Joannes Martinez de Ripalda *rom. 2. de ente supernaturali, lib. 6. disp. ult. n. 537.* sic scripsit. *Nostri instituti non est veritatem istam modò illustrare, sed supponere, esseque certam de fide, putant Valentia, & Curiel: & absque errore negari non posse Zumel. *Sic Doctores contra Soti, & Cani opinionem.

16. Adnotare tamen non desinam, plures Thomistas defendere, attritionem viribus naturæ elicitam, licet non sit dispositio sufficiens ad gratiam in Sacramento obtinendam, sufficere tamen ad valorem Sacramenti. Ita apud Henriquez *lib. 1. de Poenit. cap. 26. n. 2. & in Glos. litt. D.* tenent Canus, Sotus, Paludanus, Capreolus, Durandus, Cajetanus, Sylvester, Victoria, Mantius, & Penna. Quibus adde Magist. Ludovicum Lopez 1. p. *instruclorii, cap. 3. §. Sed ego*, ubi ait: *Crediderim attritionem ex viribus naturalibus de peccato, propter inductam infamiam, vel jacturam bonorum temporalium ex perpetrato peccato, licet non idonea sit ad cum Sacramento conferendam gratiam, tamen ad validitatem Sacramenti Poenitentia sufficiens esse, si poenitens ignoret ejus insufficienciam invincibiliter. *Sic Lopez, & alii, quos citatos sequitur Thom. Hurtado *rom. 2. variar. resol. moral. tract. ult. nu. 504. & sequenti*, exemplum adhibens. *Ut quando quis, inquit, dolet de peccato propter motivum naturalem, quia est contra rationem naturalem, ob turpitudinem naturalem peccati, aut quia ex ipso contraxit infirmitatem, aut infamiam. *Hanc, inquam attritionem, dicit sufficere ad valorem, non verò ad effectum. *Si enim (ait num. 504.) disponderet ad gratiam, Pelagianum esset asserere, quod sufficiebat esse ex viribus naturæ. *Verum hæc sententia cum hac etiam limitatione non est sustinenda, & est expressè contra D. Thomam, ut ait M. Petrus de Ledesma 1. p. *Sum. cap. 7. conclus. 6. fol. mihi 193.* ubi de prædicta attritione loquens ait: *Non est sufficiens para constituit veradere essentia de Sacramento, aunque informe. Esta conclusion tiene todos los discipulos de S. Thomas con el mismo Santo 3. p. *quæst. 84. art. 1. ad primum.* *Ratio hujus assercionis in nostra sententia est manifesta, quia dolor, qui est pars essentialis Sacramenti, est etiam dispositio ad gratiam, ut infra dicemus. Ergo ex viribus naturæ elicita insufficiens proliis est ad illius valorem.

17. Denique advertete oportet, apud Theologos dissidium esse, an attritio ad valorem, & effectum Sacramenti Poenitentia requisita debeat esse supernaturalis, quoad substantiam, an sufficiat quoad modum; nempe ex gratia per Christum elicita, licet sensitativè naturalis sit: qualia sunt opera virtutum moralium meritoria vi æternæ in opinione valde communi Theologorum. Card. de Lugo *disp. 5. de Poenit. sect. 9.* Suarez *disp. 5. sect. 1. & disp. 20. sect. 2. nu. 7.* Coninch *disp. 20. dub. 5. n. 4.* & alii existimant esse debere supernaturalem quoad substantiam; qualia in eorum opinione sunt omnia bona opera, quæ ex gratia eliciuntur. E contra verò Pater Vazquez 1. 2. *disp. 194. cap. 4.* Hurtado *disp. 6. de Poenit. diff. 6.* Bonacina *disp. 5. §. 5. sect. 1. p. 3. n. 12. & q. 3. p. 2. n. 9.* & alii asserunt sufficere attritionem supernaturalem quoad modum, seu ex gratia per Christum elicitam. Nam cum ejusmodi attritio ad meritum gratiæ, & gloriæ sufficiat, non est, cur sufficienter non disponat, si cum spe veniæ conjuncta sit, ad gratiam virtute clavium obtinendam. Hæc sententia admissio principio, cui innititur, valde probabilis est, de

quo alibi. Modò sufficiat animadvertere, nullum ex his Theologis somniale dicere, attritionem viribus naturæ elicita sufficere, ut aliqui eis falso imponunt: aliud enim est entitativè, licet ex auxilio gratiæ, esse naturalem, aliud viribus naturæ elicita absque auxilio gratiæ per Christum. Illam enim meritariam esse, & ex gratia provenire, valdè probabile est, istam vero meritariam dicere, est hæreticum. Unde cautè legendi auctores, qui terminos concallentes, attritionem viribus naturæ elicita vocant, quæ quoad substantiam supernaturalis non est, licet revera talis sit quoadmodum. In quo miserè delabuntur, non levi gravissimum injuria: qui attritionem viribus naturæ elicita constanter excludunt à meritò, & dispositione ad gratiam. Ut viderè licet in Vazquez 1.2. disp. 94. cap. 4. nu. 34. ubi ait. *Quo circa Sotus in 4. dist. 12. q. 2. artic. 5. post medium, perperam docuit hanc attritionem, quæ concipitur ex meriti inferni & turpitudine peccati, esse ex propriis viribus, & nihilominus esse dispositionem ad justificationem cum Sacramento, ut suo loco notavimus. *Nil ergo commune sententiæ Patris Vazquez cum opinione Soti.

QVÆSTIO V.

An quando de solis venialibus fit confessio, sufficiat accedere cum eorum displicentia, aut desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum?

§. I.

Varia Doctorum sententiae.

1. **A**D valorem, nedum ad effectum confessionis, quando de mortalibus fit, hoc non sufficere, ostendimus ex Tridentino *supr.* q. 2. & 3. Restat verò grave inter Doctores dissidium, an idem dicendum, quando de solis venialibus fit confessio, aut de mortalibus jam confessis? In quo prima sententia tenet, solam displicentiam esse sufficientem dispositionem, non solum ad valorem Sacramenti, sed etiam ad ejus effectum; gratiam, scilicet, & venialium remissionem obtinendam. Ita recentiores aliqui apud Lugo de *Pœnit. disp. 24. sect. 8. num. 105.* Quos sequitur P. Granado *contro. 7. de Pœnit. tract. 4. disp. 1. n. 9.* pro qua refert P. Ignatium Yañez, P. Ildephonsum Rodríguez, P. Alvarez, P. Castilio, & alios, & putat probabile P. Præpositus in 3. p. ubi de *Pœnit. quest. 2. de contrit. dub. 7.* contrarium vocat verius.

2. Addunt alii, in confessione venialium non requiri formalem displicentiam, sed sufficere virtutalem, quæ continetur in voluntate confitendi venialia, (sive actuali eorum complacentia) seu in desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum. Sic Tamburinus in *Methodo expedite confess. lib. 1. cap. 3. §. 1.* subsecutens: Hanc sententiam Præpositus vocat non improbabilem, citatque pro ea Suarium de *Pœnitent. disp. 12. sect. 1. num. 9.* Additque idem Præpositus, hanc opinionem alii sequuntur, juxta quam, si quis se dirigat, non peccabit, & fortè consequetur

tur Sacramenti effectum. Eandem sententiam sequitur Rosella, 2. *Confess. num. 2. §. 1.* & Sylvester in *Confessio, quest. 11.* Et veram esse mihi dixit Patristicus Quirós nostræ Societatis Jesu in *Tract. de Pœnitentia*. Quem sequitur P. Tancredi in *questionibus Moralibus* 4. q. 10. fol. 97. Pro quorum sententia stare tenentur quotquot *quest. 2. & 3.* citavimus asserentes, ad valorem Sacramenti poenitentiae (etiam quando non confessio est de mortalibus) sufficere displicentiam eorum, imò, & solam voluntatem suscipiendi Sacramentum, utpotè virtutalem poenitentiam includentem; nam licet de confessione mortalium, ex quo falsitas sit, propter ibi dicta, quando verò de solis venialibus ab homine iusto fit, semel posito valorem Sacramenti, non est undè ejus effectus, gratia scilicet habitualis, & venialium remissio impeditur, ut ex dicendis constabit.

3. Idèò consequenter satis ad sua principia, prefatam sententiam sustinet R. P. Christophorus Delgadillo tom. de *Pœnit. cap. 16. dub. 12. dicens*, et debet assentiri D. Thom. & alios Quia semel statum dolore, aut displicentia peccati mortalis confitendo, dari verum Sacramentum Poenitentiae, est in se necessario fatendum est, dari prædictum Sacramentum cum suo effectu in homine iusto, confitente veniale sine dolore de illo. Cum ex una parte de verum Sacramentum, & ex alia in continente non sit obex, aut aliud quod mortale, à quo impeditur confessio gratiæ sanctificantis, quam quodlibet Sacramentum necessariò causat, quando in recipiente non reperit obicem, seu culpam mortalem; igitur poenitentia (asserente non requiri dolorem formalem in confessione venialium) adducendi sunt D. Thom. Ricardus, Durandus, & c. Sic ille.

4. Quod si ejus obicias Trident. *sess. 14. cap. 3. Can. 4.* exigere attritionem, saltem ad effectum Sacramenti poenitentiae. Respondet, Concilium non esse loquutum de confessione, in qua sola venialia lethalia jam ritè confessa iterum subiiciuntur. Cui rationem reddit: quia *cum iste effectus (remissionis venialium) non impediatur in iusto, quando non eliciat attritionem, aut dolorem, fit ut in confessione venialium, quam facit, non requiratur, & consequenter prædicta doctrina Tridentina (iniquè est intelligenda de illo, qui confitetur mortalia à meritò; quia Ecclesia intendebat adscribere modum reconciliandi peccatorum cum Deo (ut supponit *tot. sess. 14. præcipue ex cap. 1. & ex tota sess. 6.* ubi describitur modus justificationis impii) Qui veniale habet peccata venialia, est amicus, & non eget reconciliatione, sic ibi.

5. Addit Delgadillo, confessionem de solis venialibus non solum validam, & fructuosam esse, sed etiam formalem, factam, sed etiam cum actuali complacentia de illis, & c. Sicut enim (inquit) poenitentia venialis complacentia non destruit gratiam sanctificantem, sic non impedit effectum Sacramenti, & c. Hoc autem non contingit in confessione mortalium jam ritè confessorum: quoniam complacentia peccati mortalis est peccatum mortale, & consequenter dabitur obex. Non tamen asserit remitti venialia, quorum quis complacentiam habet; nec id displicentiam, quia licet complacentia de venialibus non sit mortale, & consequenter, nec obex gratiæ sanctificantis de dentur partes essentialis Sacramenti) est tamen obex illius venialis remissioni, cujus est complacentia, cum impedit virtutalem saltem dolorem illius.